

byter., in 6. Hæc vero restrictio non debet esse ultra proprietatem verborum, juxta supra dicta cap. 2 et 3, nec debet esse tanta ut excludat ea quæ necessaria sunt ad valorem et effectum dispensationis, quæve cum illo sunt necessario connexa, seu ad illam necessaria, ut recte advertit Angel., verb. *Dispensatio*, n. 9, et Sylv., quæst. 5, n. 9, qui allegant Glossas et doctores. Et ratio est per se clara; nam qui dat formam dat consequentia ad formam, alias esset frustratoria dispensatio. Denique esse non debet tam universalis restrictio, ut de omnibus dispensationibus indifferenter intelligatur. Nam excipiendæ sunt illæ quæ ratione materiæ, vel gravissimæ aut piissimæ causæ, omnibus pensatis, censentur favorabiles, juxta principia posita in capite primo et dicenda de privilegiis; et videri potest Panormitan. in cap. *Ad aures*, de Rescript., n. 8, et in c. *Ac si clericis*, § *de Adulteriis*, de Judic., ubi etiam Fel., n. 16, et in cap. *Causam quæ* de Rescr., n. 15, cum Dominic., in cap. *Nos consuetudinem*, d. 12.

11. Denique addit Covarr. in 4 t., d. c. 8, § 8, n. 11, hoc præcipue intelligi de dispensatione ab homine, non a lege, quia lex jam constituit jus. Quod duobus modis potest intelligi; primo, ut, si lex aliqua specialis dispenset in anteriori lege universali, illa dispensatio censenda sit favorabilis, quod verum est quando talis lex inserta est in corpore juris, sicut de simili privilegio infra dicemus. Alio modo potest intelligi, ut, quoties lex ipsa expresse concedit vel permittit, dispensatio non sit stricte interpretanda, et hoc modo non est id simpliciter verum, quia illa dispensatio cum fit, ab homine est, et vulnerat jus. Potest ergo intelligi non absolute, sed comparate; nam illa non tam rigore restringenda videtur, sicut illa quæ est contra legem absolute prohibentem, nulla facta mentione dispensationis, quia hæc magis videtur exorbitare a jure. Et in his comprehenduntur breviter omnes limitationes quæ ad prædictam regulam adhiberi solent. De quibus videri potest Sanci., lib. 8, disp. 1, et quæ de privilegiis dicemus.

## CAPUT XII.

## DE MATERIALI CAUSA DISPENSATIONIS.

1. Explicata ratione et effectibus dispensationis, causas ejus explicare incipimus. Et imprimis materialis occurrit; in quo soleo veluti duas partes distinguere in his actibus quæ ad alterum tendunt, scilicet, rem vel actionem

circa quam opus versatur, et personam ad quam ordinatur: hæc ergo duo in dispensatione distinguenda sunt, quia dispensatio actio est quæ de se ad alterum tendit, et ita in ea hæc duo inveniuntur, quod dispensatur et cui dispensatur. Utrumque ergo explicandum est, quod breviter in hoc capite expediemus, quia est res partim facilis et fere jam in dictis explicata, partim connexionem habens cum his quæ de privilegiis dicenda sunt. Priorem ergo partem de materia proxima dispensationis tractat late Turrecrem. in c. *Sicut quedam*, 14 d.; ille vero latius ibi agit de dispensatione quam nos in præsentem: sub illa enim comprehendit etiam interpretationem quæ in jus divinum aut naturale cadere potest, et ita etiam late loquitur de materia dispensabili, et ab ea excludit solum bona necessaria ad salutem, et mala intrinsece talia, et reliqua omnia comprehendit dicit sub materia dispensabili, quam distinguit in tres ordines. In uno sunt bona quæ ex natura rei bona sunt ac necessaria, ut in pluribus, interdum vero propter circumstantias non expediunt, ut reddere depositum. In alio ordine sunt ea quæ e contrario per se mala sunt regulariter, aliquando vero propter circumstantias expediunt, ut occidere hominem. Et hæc ait esse dispensabilia per modum interpretationis, vel epikia, non per modum relaxationis, et (quod mirum est) sub his conditionibus comprehendit vota, et similia. In ultimo vero ordine ponit actiones de se indifferentes, quæ per leges fiunt bonæ aut malæ, et hunc ordinem dicit complecti materiam proprie dispensabilem.

2. *Vota et juramenta in quo ordine dispensandi continentur.* — Sed quod ad primos duos ordines spectat, ego imprimis censeo vota et juramenta non esse sub his ordinibus constituenda; nam præcepta illorum potius continentur sub materia indispensabili: ipsæ vero promissiones aliud genus dispensabilitatis habent, ut jam dicam. Deinde addo hos duos ordines actuum, si recte sumantur, nullo modo comprehendit sub materia dispensabili, non tantum ab homine, sed simpliciter. Quia priora bona, licet per se bona sint, non tamen sunt pro semper necessaria, et determinatio temporis pro quo necessaria sunt nullo modo potest dici dispensatio, imò nec epikia, ut in superioribus dixi. Illa vero mala quæ in secundo ordine collocantur, prout intrinsece seu ex se mala sunt, dispensationem aut interpretationem non admittunt; abstracte autem sumpta sine certis circumstantiis aut habitudini-

bus, non sunt mala ex se, et ideo licet fieri possint bene, non per dispensationem vel interpretationem, sed per determinationem ad aliam speciem actus in genere moris, talia fiunt.

3. *Materia adæquata hujus dispensationis est lex humana, et vinculum ex illa resultans.* — Pro explicanda ergo quasi adæquata materia dispensabili de qua tractamus, adverte aliud esse vinculum legis positivæ (naturalem enim omitto, quia indispensabilem esse suppono), aliud vero esse vinculum contractus sub quo promissiones sive ad Deum sive ad hominem comprehendendo; utrumque enim vinculum dispensabile seu solubile est per potestatem superiorem, alio vero et alio modo. Nam promissiones vel contractus non dispensantur tollendo obligationem alicujus legis, sed quasi abrogando factum, seu remittendo promissionem, ut in materia de Voto, l. 6, fuse explicavi; et illa doctrina tam in juramento quam in humana promissione et in matrimonio rato (si dispensabile est) locum habet. Tota ergo illa materia illo modo dispensabilis ad præsentem materiam non spectat; tractamus enim de sola dispensatione in vinculo legis positivæ, quæ alterius rationis est, ut constat. De hac vero ulterius subdistingendum est; nam sicut duplex est lex positiva, divina una, altera humana; ita duplex est materia dispensabilis, una a vinculo legis divinæ, altera a vinculo legis humanæ: in præsentem autem non tractamus de priori materia, quia solum tractamus de vinculo legis humanæ et de modo quo potest in particulari auferri, et ideo adæquata materia hujus dispensationis est lex humana, aut vinculum ejus, aut omnis obligatio quæ ex lege humana præcise nascitur.

4. Unde omnes effectus morales qui ex hujusmodi lege nasci solent et de se sunt perpetui vel tempore definito per legem necessario durant, sub hac materia dispensabili comprehenduntur. Atque ita omnia impedimenta matrimonii, sive impedientia tantum sive etiam irritantia, et omnes irritationes actuum per leges introductæ, et irregularitates, infamiae et aliæ poenæ, vel debita poenarum ex lege orta, sub materia dispensabili continentur quatenus a lege pendent. Quia non fit in eis mutatio nisi derogando legi, et e contrario auferendo vinculum legis ipsa tolluntur, quia a lege pendent (ut sic dicam) in fieri et conservari. Et ideo dixi quatenus a lege pendent; nam sub quacumque alia ratione considerentur, non erunt materiæ hujus dispensationis de qua trac-

tamus, etiamsi alio modo sint mutabilia, vel auferibilia per humanam potestatem. Ut, verbi gratia, filius spurius ante mortem patris per dispensationem legitimari potest ut sit hæres tanquam legitimus, quia illud impedimentum et ille effectus pendet ex lege pro eo tempore, et ita non aliter tollitur nisi tollendo vinculum legis. Si autem pater jam sit mortuus et alii fratres acquisierunt hæreditatem, jam non poterit talis filius dispensari quoad illum effectum, quia jam non impeditur sola lege, sed alio titulo justitiæ, quia jam alii fratres facti sunt domini omnium bonorum patris. Quod si in aliquo casu possit princeps aliquid de bonis paternis ab aliis tollere et illi conferre, non erit illa dispensatio in lege, sed erit ex alia potestate quasi superioris domini in bona subditorum, ad distribuendum illa prout communi bono fuerit expediens.

5. *Regula generalis.* — Hic vero occurrere posset quæstio an omnes leges quæ sunt in Ecclesia et a Deo immediate non manarunt sub hac materia dispensabili comprehendantur, id est, an traditiones apostolicæ dispensabiles sint, quando ab ipsis Apostolis immediate originem traxerunt. Aliquando enim jura canonica et eorum interpretes videntur hoc negare, ut de jejuniis quadragesimæ, de quota decimarum, de irregularitate bigamiæ, et similibus, de quibus generaliter dicitur in cap. *Contra statuta*, 28, quæst. 1, et in cap. *Sicut quedam*, d. 14, aliqua esse a Patribus statuta quæ omnino sunt immutabilia. Sed hæc quæstiones et similes attingunt generalem disputationem de potestate Papæ, de qua quantum ad præsens spectat in cap. 14 aliquid dicemus. Nunc dico generalem esse regulam et sine exceptione, omnem materiam necessariam tantum ex lege humana, a quocumque puro homine vel hominum congregatione lata sit, esse materiam dispensabilem per potestatem hominibus datam. Hanc ponit D. Thomas, quodlib. 4, art. 13. Et ratio est, quia ex parte materiæ non est repugnantia, ut constat, quia voluntas humana mutabilis est et circa materiam mutabilem versatur. Et potestas non deest, ut d. cap. 14 dicam, et videri possunt quæ dixi in 3 t., disp. 49, sect. 6. Dicta autem jura et similia loquuntur de dogmatibus fidei et de institutionibus ac præceptis divinis, ut sunt de sacramentis et sacrificio, ut ex Glossis et doctoribus constat, et ratio ipsa ac contextus facile demonstrat.

6. *Ad quas personas extenditur dispensatio.* — Circa alteram partem hujus materiæ, scilicet

cet, personam cui concedi potest dispensatio, supponendum est dispensationem esse actum potestatis jurisdictionis, sine qua valide concedi non potest, ut tradit Rom., cons. 325, *Quoad primum*, n. 12, vers. *Ex quibus verbis*, ubi in scholio alii referuntur, et dicitur esse communis sententia. Et ratio est manifesta, quia ejus est solvere cujus est ligare, c. *Inferior*, d. 21; sed ligare imponendo legem ad jurisdictionem pertinet; ergo etiam auferre obligationem ejus, quod per dispensationem fit, quia oppositorum eadem est proportionalis ratio. Solet autem constitui differentia, quod imponere legem est actus jurisdictionis quasi involuntariæ, quia lex imponitur etiam nolenti; dispensatio autem est actus jurisdictionis voluntariæ, quia conceditur volenti vel etiam petenti; nam superior ex officio suo non solet derogare juri, sed ad justam instantiam alicujus. Hoc tamen non impedit quominus dispensatio sit verus actus jurisdictionis; tum quia voluntaria jurisdictionis vera jurisdictionis est; tum etiam quia potestas ligandi et solvendi eadem est, licet respectu subditi actus ligandi soleat esse coactus, et solvendi voluntarius. Aliquando etiam (ut supra dicebam) si dispensationi præceptum adjungatur, et potest subditus compelli ad dispensationem acceptandam si ad commune bonum expediat.

7. *Omnis subditus qua talis, est capax dispensationis.* — Atque hinc colligitur personam jurisdictioni alicujus subjectam, esse, quantum est ex parte sua seu status sui, capacem dispensationis, quia nulla alia conditio potest cogitari necessaria ex parte personæ ut sit capax dispensationis. Item omnis superior respective potest cum suis subditis dispensare in legibus vel præceptis a se positis, ut infra dicemus; ergo et e contrario omnis persona subdita, quatenus alterius legibus vel præceptis subest, capax est dispensationis. Neque in hac generali resolutione ratio dubitandi occurrit. Solum notanda est obiter differentia inter legem et dispensationem, quod lex ferri non potest nisi ad communitatem, ut lib. 1 dictum est; dispensatio autem per se primo versari potest circa personam privatam, quia solum est particularis exceptio a communi lege; potest autem etiam ferri circa communitatem aliquam, quæ sit pars majoris communitatis, sicut uni religioni, vel Ecclesiæ, aut civitati conceditur privilegium per quod excipitur a lege communi. Item potest dispensatio concedi toti communitati pro uno actu vel pro certo tempore per modum suspensionis, ut supra dictum est.

8. *Dispensatio non versatur necessario circa personam subditam.* — *Summus Pontifex potest sibi indulgentias concedere, et secum in legibus et votis dispensare.* — *Eadem resolutio in supremo principe.* — Solum ergo superest difficultas, an e converso omnis persona capax dispensationis debeat esse subdita, ac subinde an dispensatio necessario versari debeat circa personam subditam. Videtur enim hoc etiam sequi ex illo principio quod dispensare est actus jurisdictionis; jurisdictionis namque tantum exercetur circa subditos, c. *Cum inferior*, de Majorit. et obedient., quia nulla potestas agit extra sphaeram suæ activitatis; ergo etiam e contrario sola persona subdita est capax dispensationis. In contrarium autem est quia inde sequeretur Pontificem non esse capacem dispensationis, quia non est persona subdita; idemque sequitur de supremo principe temporali in ordine ad dispensationem in legibus civilibus quibus ipse ligatur; et respective eadem difficultas est de omni Prælate respectu legum suarum, quatenus eis ipse ligatur. Tota ergo difficultas ad hoc revocatur an legislator possit secum dispensare in suis legibus, quatenus illis etiam ipse ligatur. Hoc dubium attingi in tertio tomo 3 part., disp. 82, sect. 2, circa finem, vers. *Solet vero*, et simile de indulgentiis in 4 tomo, disp. 52, sect. 1, n. 20, et de Votorum dispensatione, t. 2, de Relig., l. 6, cap. 11, in princ.; breviterque definivi Pontificem posse indulgentias sibi applicare, seu thesaurum pro se etiam dispensare, sive dispensando pro tota communitate cujus ipse est præcipuum membrum, sive sibi soli immediate et directe indulgentiam concedendo. Et simili modo posse secum in legibus et in votis dispensare, vel committendo alteri potestatem ut secum dispenset, si justum esse judicaverit (quod melius et consulendum esse judicavi), sive per sese rem judicando et dispensationem sibi concedendo. Quæ sententia in summo Pontifice communis est, ut erudite refert Sanci., lib. 8, disputatione 3, n. 6; eademque resolutio locum habet in quocumque supremo principe seu rege temporali quoad leges civiles, quia servat eandem proportionem, et sumitur ex c. *Per venerabilem*, Qui filii sint legitimi. Et aperte docet Cajet. 1. 2, q. 96, art. 5, in fin.; et Sylvest., verb. *Lex*, q. 14; Cord., lib. 5, q. 31. Idemque sentiunt priores auctores, qui de Pontifice hoc affirmant et de regibus non negant.

9. Ratio vero est, quia non omnis actus jurisdictionis requirit distinctionem personalem inter eum qui jurisdictionem exercet et eum

circa quem exercetur, sed tantum illi actus qui requirunt coactionem, vel propriam sententiam per quam dicitur jus inter partes et ideo requirit tertiam personam distinctam ab illis. At vero dispensatio per se est actus jurisdictionis voluntariæ respectu ejus cum quo dispensatur, et ideo ex ea parte non requirit personam ab illo distinctam. Respectu etiam ipsius legis aut legislatoris, vel boni communis, quibus potest aliquo modo præjudicare dispensatio, non potest requiri persona a legislatore distincta; nam ad ipsum pertinet suam legem tueri et communi bono consulere; ergo non repugnat ex natura rei supremum legislatorem secum dispensare in lege a se lata, quia circa se exercet voluntariam jurisdictionem, et contra rempublicam etiam non est coactio, sed prudens administratio cujusdam rei communis. Unde confirmatur primo: nam supremus princeps potest distribuere bona communia inter membra communitatis comprehendendo etiam seipsum, et ita ipse imponit tributa sibi solvenda, prout ratio justitiæ exigit; sed dispensatio in lege est quasi commune bonum distribuendum et applicandum membris prout expedierit; ergo non minus potest princeps hoc facere circa seipsum quam circa alios. Confirmatur secundo, quia princeps seipsum ligat sua lege; ergo multo magis potest se solvere, quia ligare magis spectat ad jurisdictionem involuntariam et coactivam, et ideo non potest seipsum immediate, et (ut ita dicam) privatim per legem ligare, sed solum concomitanter cum communitate cui legem imponit, idque non sola voluntate propria, sed adminiculo juris naturalis, ut supra vidimus: solvere autem seipsum potest directe et privatim, quia dispensatio et est actus qui per se exercetur circa unam personam, et est jurisdictionis voluntariæ, ideoque magis potest princeps seipsum immediate eximere a legis suæ obligatione ex justa causa. Denique si hoc non repugnat ex natura rei Pontifici aut supremo principi, nec ex jure positivo potest repugnare, tum quia nullum tale jus reperitur; tum quia ipse est supra jus, servata proportione, atque ita non potest per tale jus sua potestate privari, sed potius per illam posset in tali jure dispensare, et consequenter in quacumque lege a se lata.

10. Non desunt tamen qui contra hanc resolutionem opinentur Pontificem non posse secum dispensare in communibus legibus Ecclesiæ. Idem enim tenet supplementum Gab. 4, d. 38, q. 2, art. 5, circa finem, verb. *Si quas*

*rationes*, et aliqui canonistæ quos Sanci. supra refert, n. 4. Verumtamen eorum fundamentum solutum est ex dictis, solum enim argumentantur quia actus jurisdictionis requirit distinctionem personarum. Ad quod jam dictum est non esse universaliter verum, sed solum in actu jurisdictionis involuntariæ, vel in actu sententiæ per quam dicitur jus inter partes, qua ratione etiam in absolute sacramento, quia est vera sententia et absolutio, ideo ita instituta est jure divino ut non possit exerceri ab aliquo (etiam summo Pontifice) erga seipsum. At vero in actu dispensandi et aliis qui sunt jurisdictionis voluntariæ, non invenitur talis repugnantia nec institutio specialis, ut declaratum est, et ideo optime potest princeps secum dispensare. Et tunc etiam ille est actus jurisdictionis, et suo modo exercetur circa subditum, quia eadem persona, ut homo subditus legibus, est inferior sibi ipsi, ut est princeps et conditor legum: quæ distinctio formalis sufficit ut possit talem actum circa seipsum exercere, ut in citatis locis dixi, et Sanc. supra latissime declarat et confirmat.

11. *Episcopi et cæteri Prælati possunt in legibus a se latis dispensare secum.* — Superest vero explicandum an idem dicendum sit de aliis Episcopis et Prælatibus, et cum proportione de aliis civilibus magistratibus qui leges condere vel in eis dispensare possunt. De quibus loqui possumus aut respectu legum quas ipsi condunt quatenus eis obligantur, aut respectu legum suorum superiorum, seu juris pontificii aut regis. Loquendo enim priori modo, sine ulla controversia dicendum est posse secum dispensare in suis legibus, sicut Papa vel rex in suis. Est enim eadem proportio, ac subinde eadem ratio, quia, scilicet, talis lex principaliter ac per se pendet ab Episcopo; ergo distributio obligationis ejus (ut sic dicam) ab eadem voluntate et potestate pendet; ergo non minus potest dispensare secum quam cum aliis. Probatur consequentia, quia per se loquendo ejus est solvere cujus fuit ligare, et res per eandem causas tolli potest per quas fuit constituta, nisi aliud obstet. Hic vero solum obstare posset identitas personæ dispensantis et dispensatæ; hæc autem non obstat ex natura rei, ut ostensum est; nec etiam est speciale jus quo hoc prohibeatur Episcopis aut similibus legum conditoribus et earum dispensatoribus; ergo. Atque ita sentiunt auctores supra allegati, quia vel loquuntur absolute de legislatoribus, ut Cajetanus; vel de principe, ut Sylvester, dict. quæst. 14; et isti plane intendunt loqui de

omnibus qui ligantur legibus suis, vel loquuntur de Papa, et sic dum alios non excludunt comprehendunt eos in quibus eadem proportio servatur. Una vero difficultas hic superest de modo quo legislator posset secum dispensare, quam infra melius tractabo capite decimo quarto.

12. *Quomodo Prælati possunt secum dispensare in legibus quas ipsi non tulerint.* — Loquendo autem alio modo de his prælati vel magistratibus inferioribus qui potestatem habent dispensandi in legibus superiorum, major est difficultas, sed spectat ad caput 14. Nam quod ad præsens attinet, certum est dispensationem non repugnare propter identitatem personæ; nam quoad hoc est eadem ratio; tamen in potestate activa dispensandi potest esse diversitas. Nam respectu propriæ legis ex natura rei sequitur ut qui illam tulit possit in ea dispensare, nisi prohibeatur; in lege autem superioris hoc non sequitur ex natura rei, sed pendet ex modo potestatis a superiori concessæ, de qua potestate in dicto capite 14 dicemus. Nunc ergo solum dicimus quotiescumque constiterit potestatem datam esse sub hac amplitudine, Prælatos posse secum dispensare, sicut de prælati religionum sensit D. Thomas 2. 2, quæst. 185, art. 8, in fine corporis, ubi ait Prælatos religionum posse secum dispensare in præceptis seu ordinationibus suæ regulæ; idemque posse Episcopos regulares quoad eadem præcepta regulæ. Quod eodem modo docent Anton., 3 part., t. 20, cap. 2, § 7; et Sylvest., verb. *Religio*, 6, q. 1, et 7, q. 12; Tabien., verb. *Episcopus*, q. 6; Turr. in c. *de Monachis*, 16, q. 1. Constat autem præcepta regulæ non esse lata ab ipsis Prælati ordinariis, sed vel a tota religione, quæ superior est, vel a generalibus. Aliqui vero dicunt divum Thomam non loqui de propria dispensatione, sed licentia, quæ non est dispensatio, ut supra dixi. Verumtamen D. Thomas et alii clare loquuntur de propria dispensatione derogante legi prohibenti vel præcipienti absolute. Quamvis doctrina a fortiori vera sit de licentia, si tamen illa est Prælato necessaria: nam fortasse proprius diceretur quoties regula statuit ut aliquid non fiat sine licentia, ad subditos tantum loqui, non ad Prælatos: nam illi non indigent licentia, sed discretionem et prudentiam. Nisi ubi regula aperte disposuerit ut Prælati inferior aliquid non agat sine licentia majoris Prælati; tunc enim id agere non posset, ipse sibi ordinarie licentiam concedendo, quia esset contra regulam. Quod si in casu urgente oc-

curreret causa justa sic operandi, tunc posset secum dispensare ad id agendum sine licentia, et hoc possunt etiam religiosi facti Episcopi; illa vero non esset mera licentia vel impropria dispensatio (ut alii loquuntur), sed esset propria relaxatio legis in particulari casu, et ita esset propriissima dispensatio.

## CAPUT XIII.

## DE FORMA DISPENSATIONIS IN LEGE HUMANA.

1. *Dispensatio tacita et expressa.* — Sermo est de forma externa et sensibili; nam interior actus non habet aliam formam insensibilem, sed ipse est quædam forma spiritualis, de quo actu, quis vel qualis sit jam dictum est; quia vero exterius manifestari debet ut inter homines operari possit, ideo signum illud quo manifestatur exterius vocatur forma ejus, sicut in lege ipsa diximus. De hoc ergo signo inquirimus quale esse oporteat. Ad hoc autem explicandum præmittenda est alia divisio dispensationis in expressam et tacitam: expressa dicitur quæ propriis et apertis verbis conceditur; tacita vero quæ aliis signis vel factis indicatur. Et explicando hæc duo membra et sufficientiam illorum, hanc formam sufficienter explicabimus.

2. *Ad dispensationem expressam nulla determinata verba requiruntur.* — Circa expressam dispensationem imprimis adverte, licet ad illam regulariter requirantur verba, nulla tamen esse determinata, vel ex natura rei, vel in jure, ad dispensationem concedendam, ac subinde illa sufficere quæ, juxta communem usum, et dispensantis voluntatem et effectum dispensationis satis indicare valeant. Unde licet aliqui dicant illam esse expressam dispensationem quæ per verbum *dispensandi* datur, ut patet ex Rebuffo in Pract., p. 2, t. de Dispen., n. 19, nihilominus non est intelligendum illam solam esse expressam, id enim nullo jure probatur, et sunt alia verba vel æquivalentia vel sufficientia, licet non sint tam clara, ut: *Damus licentiam, indulgemus*, et interdum posset sufficere verbum *permittimus*, cum ex materia constiterit, de quo genere permissionis fit sermo. Verbum ergo proprium *dispensandi* est regulariter usitatum in jure et rescriptis Pontificum, et ideo ponitur quasi exemplar aliorum quæ ad expressam dispensationem sufficiunt, non ut simpliciter necessarium.

3. *In dispensatione requiritur ut materia*

*sufficienter exprimat.* — Deinde adverte ad hanc dispensationem expressam necessarium esse ut materia ejus sufficienter exprimat, id est, de qua obligatione, lege, aut impedimento vel inhabilitate detur dispensatio, et cui detur. Quia alias verbum dispensandi non haberet satis determinatam et individuum significationem, et ita nihil posset operari. Non est autem necesse ut materia dispensationis specificè semper declaretur, sed potest sufficere generale verbum, ut; *Dispenso tecum in quacumque irregularitate, vel in impedimento, si quod habes, vel quid simile.* Nam id quod in generali verborum significatione comprehenditur, censetur etiam expressum, licet non sit specificum, juxta Gloss. in l. *Lucius*, ff. de Vulgar., verb. *Non ad matrem*, et notat late multa allegando Tiraq., post leges connubiales, Glos. 7 n. 86, 87 et sequent. Et in præsentem est manifestum, quia expressa dispensatio distinguitur contra tacitam seu præsumptam; constat autem generalem concessionem verbis expressam non esse præsumptam aut tacitam respectu specierum sub generali significatione verborum indubie contentarum; igitur ex parte materiæ sufficit generalis expressio. Et idem erit cum proportionem de persona cui fit concessio, si dispensatio simul concedatur multis: nam tunc expressa erit dispensatio pro singulis, si omnes uno generali verbo comprehendantur. Si autem dispensatio uni tantum concedatur, tunc oportebit ut persona illa in particulari designetur ad quam dirigitur dispensatio, sive id fiat nomine proprio, sive circumlocutione aliqua, sive pronomine demonstrativo, juxta varias scribendi aut loquendi formas.

4. *Ad valorem dispensationis non requiritur scriptura, nec ad substantiam illius.* — Unde est tertio supponendum ad valorem et substantiam dispensationis etiam expressæ non requiri scripturam, sed verba ore prolata sufficere. Nam si in lege ipsa non est necessaria scriptura, multo minus erit necessaria in dispensatione legis. Item infra ostendemus scripturam non esse de substantia privilegii, ergo nec erit de necessitate dispensationis. Denique nullum est jus quod scripturam requirat, et vocale verbum non est signum minus expressum quam scriptum; ergo. Dico autem non requiri scripturam ad substantiam dispensationis, quia ad probationem pro foro externo poterit esse necessaria, et regulariter illa postulatur; illa vero deficiente, aliæ probationes poterunt sufficere, nisi in aliquo casu plus in

jure requiratur. Imo aliquando etiam potest esse necessaria dispensatio scripta, ut in conscientia liceat illa uti; sed hoc non habet locum nisi in casibus in jure expressis, de quibus videri potest Gloss. in c. 1, § *Postquam*, verb. *In scriptis*, de Censib., in 6. Idemque est quando Pontifices in aliquibus bullis requirunt licentiam in scriptis obtentam, ut habemus exemplum in Trid., sess. 25, c. 5 de Regul.; extra hos vero casus verba dispensantis sufficiunt. Tunc ergo satis est designare personam cui fit dispensatio, per signa quælibet determinativa et designativa individui, ut: *Concedemus huic, tibi*, etc. In scriptura vero ordinarie necessarium est nominare personam, vel ad illam semel nominatam sufficientem facere relationem. Persona autem dispensans in forma scripta necessario est nominanda; in verbali autem concessione satis est quod ipsa loquatur et verbum de præsentem proferat, ut ex materia etiam de Sacramentis constat.

5. Quarto, adverte nonnullos auctores dixisse de necessitate hujus formæ esse, ut a petitione dispensationis inchoetur, quia dispensatio non datur motu proprio, sed tantum postulata. Quia, cum dispensatio sit juris relaxatio, non debet princeps proprio motu eam concedere, sed rogatus et quasi coactus, argumento l. 4, § 1, de Damn. infect.; quod sentit Mendos. de Signatur. grat., tit. de dispens., et sequitur Roder., tomo 1, q. 22, a. 3. Imo multi existimant ad valorem dispensationis necessarium esse ut vel ab ipso indigente petatur, vel ex ejus mandato, ac subinde esse nullam si ab aliquo tertio sine mandato impetretur. Ita Panorm. per illum textum in c. *Innotuit*, de Elect., n. 10; idem in c. *Nonnulli*, § *Sunt et alii*, de Rescript., ubi idem tenet Hostiens. Fundamentum sumitur ex dict. c. *Innotuit*, ubi negatur dispensatio quia fuit petita sine mandato.

6. *Dispensatio per amicum impetrata valet.* — Utrumque autem censeo esse falsum. Assero itaque imprimis dispensationem impetratam ad petitionem amici sine mandato partis dispensandæ ex se validam esse, et operari posse si ab eo cui concessa est acceptetur. Ratio est, quia nullum est jus quod pro forma validæ dispensationis illam conditionem requirat; sine jure autem est nullum fundamentum ad id asserendum, quia ex natura rei quodlibet donum, vel elemosyna, vel gratia potest valide per amicum impetrari ei qui nihil procurabat. Consequentia est evidens. Antecedens autem patet quia in jure civili nihil est quod